Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LXIV.

urn:nbn:de:bsz:31-130978

Visual Library

3. Placent qui charitatem exercent erga proximum. Heb.13.v.16. Hęc ſunt ſacrificia Deo placentia. Sic enim ipſe, Oſe.6. miſericordiam volo & non ſacrificium. Et quod placeant, patet ex illa commendatione, Matt. 25. v. 35. & ſeqq.

4. Placent qui laudant & celebrant Deum, & grati ſunt pro omnibus beneficiis, Pſal.69.v.31. Laudabo Deum & placebit ei ſuper iuuencum, &c.

Qui ſic Deo ſtudent placere, præſentes ipſi erunt in vita beata. Et tales mox ad ſe rapit, Sap.4.v.14. Sicut Henoch, Syr.44.v.16. Qui faciunt quod placet Deo his bene erit in hac & futura vita, Deut. 12 v. 28. & Pſal. 116 v.9.

Contra vero qui iuxta carnem viuunt Deo placere nō poſſunt Rom.8.v.8. Nec etiam Deo placent, qui hominibus placere ſtudent, Gal.1.v.10. 1.Theſſ.2.v.4.

Ideoque nihil refert ſi maxime non placeamus hominibus dum placeamus Deo. Ergo præbeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem ſanctam, *placentem Deo* rationalem cultum noſtrum, Rom.12.v.1.

FINIS.

THEMA LXIV.

2.Cor.5.v.10.

Omnes manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, vt reportet vnuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit ſiue bonum, ſiue malum.

DISPOSITIO.

Extat vaticinium inſigne de Chriſto, Eſa.45.v.23. Mihi curuabitur omne genu. Hoc tum completum iri Paulus ait, Rom.14.v.19. quando omnes ſiſtentur ante tribunal Chriſti. De hoc grauis & memorabilis ſententia quam prælegimus ſonat, omnibus Chriſtianis probe notanda, vbi idem repetit, quod Romanis ſcripſerat, vt intelligatur ſerio hanc rem agi. Eſtque hic locus explicatio illius Articuli in ſymbolo, quando confitemur, venturum Chriſtū

ad

ad iudicandum viuos & mortuos. Quoniam igitur nobis conſtat de iudice, cui pater omne iudicium tradidit, Joh. 5.v.22. ideo tantum tractabimus hæc duo:

1. Quinam ſiſtendi ſint ante tribunal Chriſti.

2. Qualem vnuſquiſque ſententiam finalem à Iudice ſit auditurus. Hic ô auditores chariſſimi aures arrigite, & diligenter attendite.

I. Pars.

Initio notanda vocabula *manifeſtationis*. Oportet nos *manifeſtari* ante tribunal Chriſti. Dixerat Rom. 14. Statuemur ante tribunal. Hic vero clarius idem annotat, *manifeſtabimur*. innuens ſcilicet, multa hîc patrari quæ non veniant in iudicium, quia in occulto fiunt.

At tum nihil amplius fore occultum. Omnia ſub lucem venient, quæ nocte patrantur, Matt. 10.v.26. Marc. 4. v. 22. Luc. 8. v. 17. Iudicabit Deus occulta cordium, Rom. 2. v. 16. Itaque ſiſtentur ante tribunal, qui exiſtimarunt ſe, ſuaque opera latere Dominum, 1. Cor. 4. v. 5. Hoc probe notabunt illi, qui dicunt, quis videt me, parietes tegunt Syr. 23. v. 25. & ſeqq Eſ. 29. v. 15. Pſal. 94. v. 7.

Cogita quid tum ſit futurum, quando facta tua producentur, & manifeſta fient, coram cœtu Angelorum & hominum omnium.

DEINDE diſertis verbis Paulus aſſerit, OMNES manifeſtandos ante tribunal Chriſti. Omnes qui vixerunt à primo vſque ad nouiſſimum. Hic nulla exceptio, nulla proteſtatio locum habebit. Non fori declinatio, nec perſonæ priuilegiatio quidquam valebit. Non alius prote comparebit. Kein Anwaldt noch Affteranwaldt gelten. Kein Gewalt angenommen werden.

Hic tam Cæſar quam ſubulcus ſiſtetur. Eadem ſors erit omnium. Ideo Paulus dicit iudicandum totum orbem terrarum, Act. 17. v. 31. & Matt. 25. v. 32. Congregabuntur omnes populi.

SOLATIVM hinc capiunt pauperes oppreſſi à Tyrannis & aliis, die zu keinem Rechten können kommen / quod

tum

tum etiam Rex, Princeps, Nobilis ſiſtendus eſt iudicio. Ibi reſpondere cogetur tibi.

Tertio. Nota etiam quod dicitur, manifeſtari *omnes* OPORTET. Contra oportet nullum eſt remedium. Es wird ſeyn müſſen/ vnd wird kein ſperren helffen.

ADMONEANTVR ex hoc loco magnates nobiles, iureconſulti, diuites, potentes, qui in his terris ſemper habent ſua effugia, & non poſſunt accuſari coram iudicio, aut ſemper euadunt, Alia ibi erit ratio. Da muſt du auch auffs Rechenbäncklein ſitzen. Ideoq; caue ne ſis iniuſtus, oppreſſor, &c. Nulla cautela (etiam ipſius Cepollæ) locum habebit. Nihil proderit quidquam allegare, neque excipere, neque replicare, nec ad hunc vel illum appellare. Hic non erit Codici locus nec Digeſtis. Idem erit Dominus iudex, actor, teſtis.

Omnes denique de hoc ſæpius cogitent. Nihil enim teſte Auguſtino ſic auocat à peccandi conſuetudine, ſicut nouiſſimi diei recordatio.

II. Pars.

Omnes ſiſtentur ad tribunal ad audiendum ſententiam, quam mox ſequetur executio. Vnuſquiſq; accipiet [ait Paulus] prout fecit dum vixit in corpore, ſiue bonum ſiue malum. Qui bene egerunt audient ſententiam bonam, illam ſcilicet, Matth. 25 v. 34. Venite benedicti. Et ibunt *iuſti* in vitam æternam, Ibid. v. 46 Qui male egerunt, ibunt ad locum damnationis, audituri ſententiam: abite maledicti. Vide etiam Johan. 5. v. 29. Et Dan. 12. v. 2. Nemini fiet iniuria: quia iudicabuntur iuxta teſtimonia operum, Rom. 3. v. 6. 1. Pet. v. 17. abſque reſpectu perſonarum, Apoc. 22. v. 12. Eſt enim iuſtus iudex, 2. Tim. 4. v. 8, & iudicabit in iuſtitia, Act. 17. v. 31.

Et quia non externa tantum reſpicit, ſed eſt (1. Reg. 8. v. 39.) καρδιογνώςης πάντων, nemini fiet iniuria.

I. DISCIMVS, in vita æterna fore compenſationem bonorum operum: & viciſſim infligendas pœnas in inferno impiis.

Non autem ſicut propter opera mala damnantur impii: ſic quoque *propter bona* opera ſaluantur pii. Quia non eſt par ratio. Mala enim ſunt perfecte mala: bona autem imperfecte bona: Ideo pannus mẽſtruatæ *iuſtitia* noſtræ, Eſa. 64. Et ſic Paulus concludit, Rom. 6. Stipendium peccati mors. *At donum Dei* vita æterna. Idem diſertis verbis explicat, Eph. 2. v. 5. & 8. Bene autem operemur vt firmam faciamus vocationem & electionem noſtram, 2 Pet. 1. v. 10 vt habeamus teſtimonia ſecundum quæ de fide pronunciabit Chriſtus, Mat. 25. v. 35. vtque habeamus præmia pietatis, quæ ad omnia vtilis, 1. Tim. 4. v. 8. & vt effugiamus damnationem æternam.

II. Quia iudicabit Chriſtus iuxta ea quæ quis fecit in corpore, nullus erit locus pœnitentiæ in purgatorio.

Nec proderunt opera pro defunctis. Quia accipiunt tantum iuxta id quod egerunt in corpore viuentes.

III. Quia accipiemus iuxta id quod fecimus in corpore, danda opera, vt ſanctificemus corpora noſtra, vt ſint templa Spiritus ſancti, 1. Cor. 3. verſ. 16. & 6. verſic. 19. 1. Theſſ. 4 v 3.

F I N I S.

THEMA LXV.

Galat. 3. v. 26.

Omnes filii Dei eſtis per fidem in Ieſum Chriſtum.

DISPOSITIO.

Joan. 8. v. 39. Judæi cum Chriſto iurgio contendunt, quod negauerit ipſos eſſe filios Abrahæ. At cum inſuper etiam negaret ipſos eſſe filios Dei, & affirmaret ex patre Diabolo potius eſſe, quia loquantur mendacium, ibi tum lapidibus ipſum petũt. Ita fere nemo eſt inter omnes homines, qui non profiteatur ſe eſſe filium Dei, cum ore omnes ſic ſoleant precari, *Pater noſter*. Interim tamẽ plures ſunt, qui neſciunt quæ ſit vera filiorum Dei nota, *quibus certe* Chriſtus ſi viſibiliter rediret, idẽ eſſe dicturus, quod